

215. — **QUAER.** 5^o *Quaenam sint remedia desperationis?*

Resp. Praecipua sunt sequentia: 1^o consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei: — 2^o frequens recordatio eorum hominum, qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt: — 3^o meditatio parabolarum sancti Evangelii, praesertim *ovis perditae*; — 4^o devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; — 5^o fiducia in Christum pro nobis cruci affixum, etc.

216. **Regulae practicae.** — *Prima.* Dispiciat Confessarius ex qua potissimum radice desperatio in poenitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa causa applicare possit. — Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certae damnationis. Remote vero 1^o ex *acedia*, qua quis media salutis nimis gravia putat, et proinde ab iis adhibendis deterretur; 2^o ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quae mentem a caelestibus avertunt, et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; 3^o ex *melancholia*, quae inclinatur ad tristitiam, et avertit a fiducia, quae gaudium animi generare solet; 4^o ex scrupulis, quibus anima deiicitur et opprimitur.

Secunda. Poenitentes desperationi dediti a Confessario cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi, iuxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. Alio enim modo dirigendi sunt qui ex malitia, vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt; alio qui ex pusillanimitate, vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

Tertia. Non statim prima fronte iudicandi sunt velut desperatione abstracti poenitentes, qui se tales exhibent, praesertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animae etiam devotae, quae tentationibus desperationis prope continuis exagitantur; nec facile credendum est, eas peccasse praesertim graviter, quamvis putent se illis consensum praebuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dieta confundendus est. — Elbel, etc.

in eiusmodi praesumptione levem culpam reperiri posse.

Et haec doctrina est S. Thomae (2. 2. q. 21. art. 2. ad 3.): *Dicendum, quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato, hoc non est praesumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere volunta-*

tem minus firmatam ad peccandum. Unde bene Marcus Struggl (*Theol. Moral.* tr. IV. q. 3. n. 17.): *Etiam dum quis vult peccare aut actu peccat, bonum est sperare veniam peccati et proponere postea poenitere.* Caeterum non adesse in praemisso casu peccatum praesumptionis, communiter docent Sanchez (*In Dec.* lib. 2. cap. 35. n. 7.) Bannezium et Metinam allegans, Salmantic. (Tr. 21. cap. 5. n. 56.), Palau (*De Spe* Tract. V. disp. unic. punct. 6.), Bonacina (*De I. Praecept.* q. 3. punct. I. n. 6.), etc.

CAPUT III.

DE CHARITATE.

217. — *Charitas* est virtus, qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum (1), et proximum propter Deum. — *Charitas* est omnium virtutum praestantissima, quia Deum modo perfectissimo attingit. Hinc, 1. *Cor.* 13. 13: *Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria haec; maior autem horum est Charitas.*

Obiectum *formale* Charitatis est bonitas divina (2); *materiale* vero primarium Deus, secundarium proximus. — S. Lig. n. 22. et seq.

Distinguitur 1^o Amor Dei *intensive* vel *appretiative* summus; 2^o Amor *benevolentiae*, qui *proprium bonum amati respicit*; amor *amicitiae*, qui est amor *benevolentiae mutuae*; et amor *concupiscentiae*, qui intendit primario bonum *proprium amantis* (3).

Agendum 1^o de amore Dei, 2^o de amore proximi.

(1) Quid sibi velit Deum diligere *gratis* et propter seipsum, pluribus in locis explicat S. Augustinus, videlicet ne Deo serviamus, neve ipsum diligamus aut quaeramus propter aliud, idest propter mercedem temporalem, propter mercedem extra ipsum, propter bona ab ipso distincta aut diversa, sed ut ipse sit bonum nostrum, beatitudo nostra, merces nostra. Vid. *De Catech. rud.* cap. 22. n. 39. et cap. 27. n. 56. *De Gen. ad lit.* lib. 8. cap. 11. n. 24. — *Serm.* 91. n. 3. *Serm.* 165. n. 4. et *Serm.* 334. n. 3. — *In Psalm.* 52. n. 10. *in Psalm.* 77. n. 21. et *in Psalm.* 85. n. 8. Haec et alia tum S. Augustini tum aliorum DD. reperies apud Io. Bapt. Faure in egregiis Commentar. ad Enchiridium S. Augustini cap. 7. et 8., et rursus ad cap. 121. 122.

(2) Quaestiones hic quidam movent (Vid. S. Lig. lib. 6. n. 436.), num formale charitatis obiectum sit etiam bonitas, quae in quovis divino attributo, v. gr. misericordiae, iustitiae, sapientiae, etc. elucescit, an vero solum bonitas, quatenus haec omnes Dei perfectiones complectitur: primam autem sententiam exhibent tanquam minus probabilem, et communiter a DD.

reiectam. Verum haec non debentur nisi cuidam aequivocationi. Nam opinio, quae communiter reiecitur, non ea est quam diximus, sed quae contritionem non ex charitatis, sed ex obedientiae, religionis, poenitentiae, etc. motivo elicita, habet ceu *perfectam* atque adeo aptam ad hominem ante susceptionem sacramenti iustificandum. Qua de re vid. Card. De Lugo *De Poenit.* disp. 5. sect. 1., tum etiam quae dicemus in Tr. *de Poenit.* p. 2. c. 1. a. 1. (Vol. 3.).

(3) Cavendum sedulo, ne amor, qui nos in Deum rapit ceu bonum nostrum, tanquam alienus a charitate traducatur. Ratio est, 1^o Quia homo reipsa non attrahitur nisi bonitate divina, dumque in hoc potius, quam in quovis alio bono, beatitudinis obiectum quaerit, insitus iam apparet amor ille *appretiative summus*, qui proprius est perfectae charitatis, et quo (ut inquit S. Bonaventura 3. dist. 26. art. 3. q. 3.) *Deum concupiscit super omnia.* 2^o Quia secus ne amor quidem *amicitiae* possibilis foret. Ut enim inquit sanctus Thomas (2. 2. q. 26. art. 13. ad 3.): *Unicuique erit Deus tota ratio diligendi, eo quod*

ARTICULUS I. — DE AMORE DEI.

1^o Datur praeceptum speciale diligendi Deum super omnia tum affectu interno per veram cordis dilectionem, tum etiam opere externo. — Constat ex verbis Christi, Matth. 22. 37.: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... hoc est maximum et primum mandatum.*

2^o Praeceptum hoc, prout affirmativum, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, ut patet ex lege naturali, non autem necessario *intensive*, quia essentia Charitatis in gradibus non consistit (1). — *Ita communiter.*

218. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An teneamur ad agendum semper ex motivo Charitatis?*

Resp. Neg., iuxta dicta de Act. hum., n. 31. Siquidem etiam actus aliarum virtutum sunt boni et meritorii (2). Constat etiam ex propositione 8^a ab Alexandro VIII. damnata.

QUAER. 2^o *Quandonam urgeat praeceptum Charitatis?*

Resp. Obligat tum *per se*, tum *per accidens*, sicut praeceptum Fidei.

Deus est totum hominis bonum. Dato enim per impossibile, quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi. Hinc et S. Franciscus Salesius (Tr. dell'Amor di Dio part. 2. lib. 4. cap. 10.) ad chimaeras et inanes phantasias revocat amorem cuiuspiam boni, quod ad nos nostraeque beatitudinis obiectum non pertineat. 3^o Denique quia amor Dei, excludens affectum possidendi Deum uti beatitudinis nostrae obiectum, quod nostrum felicitatis appetitum perfecte satiet, facile adducet ad doctrinas *de pura charitate sine ulla admixtione motivi proprii interesse*, quam in pluribus propositionibus damnavit Innocentius XII, 12. Mart. 1699, et e quibus prima praesertim, quinta et sexta ad rem praesentem faciunt.

(1) Scilicet non cadit sub charitatis praeceptum gradus intensionis, seu fervoris in diligendo; sufficit enim ut Deus reipsa bonis omnibus praefatur, ut habet communis DD. sententia. Nec movere quempiam et in transversum agere illud debet, quod aliter habere quidam veteres videantur; nam nomine maioris intensionis, aut

ferventioris dilectionis, aut maioris extensionis Scotus, v. gr. et S. Thomas, reipsa intelligunt *appretiationem* (Vid. Koninek *De Virtut. Theol.* disp. 25. n. 2.).

Et haec quidem doctrina communi expeditur tum opinio eorum, qui actum amoris *summe intensus* exigebant (qui quidem ad absurdum declinant, quia nullus actus cogitari potest ita intensus, ut cum Dei auxilio intensior elici non possit), tum eorum, qui Deum affectu intensiori, quam quilibet aliud, diligendum contendunt; unde consequeretur, affectum qui heri ad praeceptum implendum sufficiebat, hodie amplius non sufficere, si forte impensiori studio in rem aliam, etsi honestam, afficiar; itemque contritionem, quae hodie sufficit ad remissionem peccatorum, eras non fore sufficientem, si forte intensius de pessima, v. gr. morte fratris doleam (Conf. Koninek l. c. n. 4. 5., et Suarez *de Charit.* disp. 6. sect. 2. n. 2.-5.).

(2) Meritorii sunt pro eo, qui est in statu gratiae; secus erunt aut salutare, si ex gratia ponantur, aut saltem naturaliter honesti.

Recole dicta superius de praecepto Fidei, n. 188. Constat etiam ex propositionibus 5^a et 6^a ab Innoc. XI. damnatis, quarum prior sic iacet: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audeamus.* Posterior vero: *Probabile est, ne singulis quidem rigore quinquenniis, per se obligare praeceptum Charitatis erga Deum.* S. Ligorio arridet sententia eorum, qui actum Charitatis semel in mense requirunt. — *Hom. apost.* n. 12. Sed huius opinionis nullum est solidum fundamentum (3).

(3) Pro eiusmodi opinione non allegantur nisi Cardenas et Croix (Vid. S. Alph. lib. 2. n. 8.). At Croix (lib. 2. n. 141.) mere ista habet: *Cum in tanta sententiarum varietate nesciamus, quando et quoties diligendus sit Deus, arripiamus tutiora.* Quae sane non possunt ita intelligi, quasi Croix ex defectu rationum ad asserendam ullam obligationem, absurdissime et contra prima principia inferat necessitatem obligationes strictiores sine ulla ratione imponendi.

Cardenas vero (Cris. 2. disp. 6. n. 18.) ita disserit: *Valde occultum et incertum est determinare tempus, in quo instat hoc praeceptum; solum enim dicimus violari praeceptum, cum multo tempore differtur dilectio Dei, iudicio prudentis; et mensis integer videtur mihi multum tempus ob summam huius praecepti dignitatem.* Quae plane nullius sunt roboris. Mitto enim quod nemo antea hunc terminum fixerit: at prorsus imbellis, ut patet, est ratio, quam petit a summa praecepti praestantia. Profecto si quo praestantius est praeceptum, eo maior esse debeat actuum praeceptorum frequentia, cum praestantius sit praeceptum sumendi Eucharistiam, quam abstinendi a carnibus, concludendum foret, ad sumendam Eucharistiam plus quam bis hebdomadis singulis nos teneri!

Frustra vero alii doctores pro sententia haec adducuntur, Suarez, nempe et Reginaldus. Nam Suarez (*De Charit.* disp. 5. sect. 3. n. 1.) inde unice deducit, *repugnare tanti praecepti dignitati obliga-*

tionem reiicere (unice) ad illud (mortis) tempus, et (ibid. n. 4.) delinquere contra hoc praeceptum, qui per multos annos non exercet hunc amorem. — Reginaldus vero (Tr. 17. n. 98.), neminem obligari ad actum dilectionis, nisi cum exercitium illius necessarium est ad Dei honorem defendendum, vel ad divinam amicitiam retinendam. Ubi nam igitur obligatio urgens singulis mensibus?

At nonne quidem veteres docuerunt, obligare hoc praeceptum singulis diebus festis, quibus accessit et Amort asserens obligationem hanc saltem sub levi. Verum et S. Alphonsus cum communissima Thh. hanc opinionem reiicit.

S. Alphonsus tamen attulit argumentum, quod secus *difficulus observare quis poterit legem divinam* (*Hom. Ap. n. 12.*)

Resp. Quando sit unicum medium vitandi grave aliquod peccatum, C., prouti et Reginaldus sup. docuit: secus, N. Nihil aliud enim sibi vult S. Alphonsi sententia.

Caeterum res ita se habet, ut Cardenas tantum et Croix eam opinionem teneant, nec aliis rationibus praeter allatas eam confirmant. Utrum vero aut auctoritas aut rationes illae sufficiant ad grave omissionis peccatum asserendum, ex DD. regulis a S. Alphonso allatis definiatur. Nimirum S. Doctor l. 5. n. 52. cum S. Antonino docet, non esse definiendum de peccato mortali, nisi habeatur auctoritas expressa S. Scripturae aut canonis seu determinationis Ecclesiae vel evidens ratio

QUAER. 3^o *An satisfiat praecepto Charitatis per attritionem in susceptione sacramenti Poenitentiae?*

Resp. Neg., quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui, et proinde in ea deest motivum principale Charitatis.

219. **Resolves.** — 1^o Praecepto Charitatis facile satisfaciunt fideles qui pie vivunt, quia saepius actus Charitatis eliciunt gaudente de perfectionibus divinis, optando ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant, atque eius mandata observent, orando devote ut santificetur nomen eius, ut fiat eius voluntas, vitando peccatum, quia ipsi displicet etc.

2^o Fideles igitur non debent esse anxii de hac obligatione, si vitae christianae studeant, et voluntatem gravia peccata vitandi retineant. Suedendum tamen ipsis est, ut saepe explicitos Charitatis actus eliciant in vita, ad maiorem cum Deo coniunctionem, atque ut animus paratior sit ad similes actus in morte facile eliciendos (4).

et l. 1. n. 89. cum Gersono: *Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua peccata esse mortalia, ubi non sunt certissimi de re: vide et alios ibi allegatos.*

(4) Opportunissime moribundi ad actus charitatis eliciendos, iterandosque excitantur; imo non desunt, qui gravem huius actus eliciendi obligationem tunc urgere autument. Verum videtur distinguendum. Nam si sermo sit de iis, quibus aliud medium iustificationis nullum suppetit, verissime id affirmatur; secus vero, si huiusmodi absit necessitas; neque enim ulla solida ratio apparet sive intrinseca sive extrinseca, cur opinionem de hac obligatione quidam (Vid. S. Alph. lib. 2. n. 23.) *communem aut probabilissimam* dixerint.

Quod sane spectat ad rationem extrinsecam, in primis non sunt negligendi Auctores, iique gravissimi, qui hanc obligationem negant sive expresse, sive aequivalenter, dum recensentes aut tempus obligationis, aut de eo opiniones, tempus mortis praetermittunt. Eiusmodi sunt *Lugo, Navarrus* (allegationes, quae facile inveniuntur, brevitatis causa omittuntur), *Sanchez, Azor, Escobar, Croix, Becanus, Fagundez, Tamburini*, et cum

his *Potestas et Voit.* — Negantibus hanc obligationem accensendi sunt etiam illi, qui eam tunc solum admittunt, quando charitas seu contritio perfecta unicum adest iustificationis medium. Ita *Laymann, Toletus, Henriquez, Candidus, Lessius, Turrianus, Gordonus, Fabri, Ferraris* et *Elbel.* — His addendi, qui probabilem esse aut etiam sibi videri probabiliorē affirmantem dicunt. Ratio, quia qui *probabilem* dicit obligationem, aequipollenter negat, eam imponi posse.

Quaenam vero sunt intrinseca fundamenta istius obligationis? 1^o *Suarez*, et cum eo *Koninck, Widgant, Cardenas* et *Catalani*, charitatem exigunt ob dubium de valore Sacramenti cum sola attritione, vel de ipsa attritione, an rite elicita sit. — Resp. Ratio haec nimis probat. Si quid enim tale dubium valeret, propter ipsum non minus praecavendum foret periculum frustrandi per sacrilegam iniuriam Sacramenta. Ergo accedenti ad Confessionem sub gravi peccato iniungenda foret obligatio charitatis seu perfectae contritionis actum praemittendi; quam doctrinam nemo facile admittet. Insuper cum de certitudine contritionis seu charitatis aequae, imo plus dubitare possis quam de certa attritione, quia difficilior ea censetur, illam non se-

3^o Satisfacit praecepto Charitatis, qui peccato gravi inquinatus, et copia Confessarii destitutus, elicit actum perfectae contritionis, etiamsi hic actus esset aliunde necessarius, v. gr. ad celebrandam Missam. Ratio est, quia praeceptum Charitatis simul cum alio praecepto bene impleri potest, et in eiusmodi adiunctis locum habet id, quod superius diximus, praeceptum Charitatis interdum obligare per accidens. — *Elbel*, etc.

ARTICULUS II. — DE AMORE PROXIMI.

Agendum 1^o de praecepto amoris proximi in se; 2^o de operibus charitatis ex illo implendis; 3^o de vitiis Charitati proximi oppositis.

§. I. De praecepto amoris proximi in se.

1^o Erga omnes in genere; 2^o erga inimicos in particulari.

mel solum, sed iterum iterumque deberes repetere, quin tamen dubium et simul obligatio repetendi cessaret. Denique ad contritionem non ex charitatis, sed ex poenitentiae praecepto tenereris.

2^o Alii, v. gr. *Bonacina, Valentia, Reginaldus, Giribaldi* ecc. charitatis actum exigunt, quo se homo communiat adversus tentationes. — Resp. Id ipsum dici potest de usu aquae benedictae, de signo Crucis, de invocatione B. Virginis, et quovis alio medio ad id idoneo. Num ideo sub gravi obligamus ad haec omnia adhibenda? Illud unice itaque statui potest, actum charitatis, et quodvis aliud medium sub gravi esse adhibendum, quando unicum sit medium gravis culpa vitandae. Tunc autem omisio non charitatis violat praeceptum, sed unum eundemque reatum inducit, ac peccatum, in quod quis ob eam omissionem labatur.

3^o Alii, uti *Cardenas, Holzmann, Reuter, Babenstuber, Antoine* (quem transcribunt *Charmes* et *Collet*), *Viva* etc. inde arguunt, quod cum homo tunc in eo sit, ut ultimo suo fini coniungi debeat, tunc maxime *conveniens, congruum, utile, commodius, opportunius* sit, se ad id disponere per exercitium praecipuarum virtutum et charitatis. Et huc quidam

cum *Marchant* et *Sporer* revocant illud Evangelii: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris.* — Resp. Plura alia sunt *convenientia, congrua, commoda, utilia, opportuna*; verum nec *convenientiae, nec commodi, nec utilitatis, nec opportunitatis*, ratio, sed ratio *necessitatis*, a qua se subtrahere quis non possit, obligationem gravem potest inducere. Satis vero praecinctos habet lumbos, et lampadem gerit accensam, quisquis sanctificante gratia ornatus Dei amicus, imo et filius est.

4^o Nonnulli demum cum *Cardenas* ita arguunt: doctrina damnata est sufficere semel in vita actum charitatis eliciisse: ergo elici in morte debet. — Resp. Tum istud sophisma, tum praecedentia infirmissima argumenta, ea sunt, propter quae de ista obligationis opinione scripsit *Sanchez* (*Dec. lib. 2. c. 35. n. 9.*): *Iure optimo id reprobat Azor.* Et *Tamburini* (*Dec. lib. 2. c. 3. n. 4.*): *Ponere hanc obligationem, quae certe fundamento solido non inimitur, nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere.* Et de eadem re *Lugo* (*de Poenit. disp. 7. n. 276.*): *Non debet ergo Confessarius laqueos iniicere poenitenti in re incerta.*

PUNCTUM I. — *De praecepto Charitatis erga omnes in genere.*

220. **Principia.** — I. Datur praeceptum diligendi proximum vero et interno affectu. Constat 1^o ex lege naturali, quia etiam in proximo viget idem motivum formale dilectionis, scilicet *bonitas* Dei participata; omnes enim homines sunt Dei creaturae, ad eius imaginem conditi, atque amicitiae Dei et aeternae beatitudinis capaces: ergo sicut Deum amare, ita et proximum diligere propter Deum debemus. — 2^o Constat ex Scriptura sacra. *Matth. 22. 39.: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* — 3^o Constat etiam ex damnatione propositionis 10^{ae} ab Innoc. XI, quae sic iacet: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.* Cf. prop. seq. 11^m.

Qui vero christiane vivit, sufficienter satisfacit huic praecepto, quoad actum internum orando pro proximo, vel recitando Orationem Dominicam (1). Quoad actus vero externos satisfacit, proximi necessitatibus sive temporalibus, sive spiritualibus succurrendo, iuxta regulas infra statuendas.

II. Ordo aliquis Charitatis servandus est in proximi dilectione. Ratio est, quia et personae diligendae magis vel minus perfectae sunt, aut magis vel minus nobis coniunctae, et bona ipsis desideranda vel procuranda, magis vel minus necessaria sunt (2).

(1) Ad satisfaciendum praecepto sufficit amor generalis, qui neminem excludit, ac omnes complectitur, ut docet S. Thom. (2. 2. q. 25. art. 8.). Atque adeo ad id sufficit oratio, quae pro omnibus fit, recitando Dominicam Orationem, in qua et internum et externum actum habes.

(2) De ordine charitatis inter proximos clarius Laymann (lib. 2. Tract. 3. cap. 3. n. 5. et 6.) post S. Thomam triplici principio utitur: I. *Ea dilectione quam comitatur complacitum seu gaudium in bono alieno possesso, itemque quam comitatur honor, reverentia, ii magis diligendi sunt, qui meliores sunt,* auctore S. Thoma (2. 2. q. 26. art. 7. 8. 9.): *ob eandemque rationem parentes magis quam filii et uxor, magisque benefactores, quam ii quibus benefecimus. Ratio, quia maiorem illi cum Deo communi omnium parente ac benefactore similitudinem habent.* — II. *Ea dile-*

ctione qua desideramus alteri bonum nondum possessum, et quam comitatur misericordia et beneficentia, ii magis diligendi sunt, qui nobis coniunctiores existunt. — III. *Qui nobis coniunctiores sunt, aliis praeferrere debent secundum ea bona, in quibus coniunctio vel amicitia fundatur: quia communicatio bonorum est fundamentum amicitiae et charitatis.* Exinde S. Thomas (2. 2. q. 26. art. 8.): *Diversorum dilectio est mensuranda secundum diversam rationem coniunctionis, ut scilicet unusquisque diligatur magis in eo, quod pertinet ad illam coniunctionem, secundum quam diligitur... Et ideo in his, quae pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos; in his autem, quae pertinent ad civilem conversationem, plus debemus diligere concives, et in bellicis plus commilitones.* Et (3. dist. 29. q. 1.

Item diversae sunt necessitates, in quibus proximo succurrendum est. Necessitas enim sive temporalis, sive spiritualis, triplex distinguitur, scilicet.

1^o *Extrema*, cum periculum aeternae damnationis aut mortis, alteriusve mali morti fere aequalis ita proximo instat, ut hic moraliter loquendo sine alterius auxilio illud evadere non possit.

2^o *Gravis*, cum quis magnum patitur periculum salutis animae, aut vitae corporis, alteriusve gravis mali (3), quod sine magna difficultate effugere nequit.

3^o *Communis* seu *mediocris*, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur in ordine spirituali vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; in ordine vero temporali eam patiuntur generatim pauperes mendicantes, quibus vita, pro eorum conditione, non nimis molesta ac misera est. — S. Lig. n. 27., *Hom. apost.* n. 18.

Regulae speciales ordinis Charitatis.

221. — *Prima regula.* Quisque tenetur seipsum magis diligere *simpliciter* et *absolute*, quam proximum (4). Ratio est, quia unusquisque sibi magis proximus est, quam alius quilibet. Id clarum est insuper ex inclinatione naturali et invincibili ad seipsum magis diligendum quam proximum; unde vulgare axioma: *Charitas bene ordinata incipit a semetipso.*

Secunda regula. Debemus tamen succurrere proximo, nostris etiam commodis posthabitis (5), ordine sequenti:

art. 6. ad 3.) ex iisdem principiis deducit, *beneficia ecclesiastica non esse danda magis consanguineis, sed eis qui magis sunt idonei ad regimen Ecclesiae.*

(3) Auctor reipsa iis coloribus necessitatem *gravem* exhibet, quibus alii DD. *quasi-extremam* aut saltem *gravissimam* solent indicare.

(4) Ut vera sit haec assertio, intelligatur, oportet, de illis bonis, quae nobis comparare vel conservare tenemur. Nam si haec obligatio desit, proximum nobis praeferrere non solum licet, sed ad virtutem pertinet.

(5) Nempe prima regula valet, ubi bona sint eiusdem ordinis, et in reliquis par sit nostra et proximi conditio. Secunda vero,

quando vel in ordine bonorum vel in reliquis adsit disparitas, quae tripliciter contingere potest; unde triplex regula nimirum: 1^o Si bonum proximo necessarium sit altioris ordinis, possumus et quandoque tenemur nos privare bono ordinis inferioris ad bonum illud proximo procurandum. — 2^o Proximum in maiori necessitate constitutum possumus et quandoque tenemur cum damno nostro adiuvere. — 3^o Idipsum dicendum est, si par quidem sit necessitas, sed non par utriusque causa, v. gr. pluris intersit vitam proximi, utpote personae publicae, servari.

Ordo autem inter bona est, ut primum locum teneant bona spiritualia et supernaturalia; secundum bona naturalia et cor-

1^o In *extrema necessitate spirituali, per se* (6), succurrendum est proximo, etiam cum periculo vitae; quia vita aeterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali. — S. Lig. n. 27.

2^o In *extrema necessitate temporali* succurrendum est proximo *ordinarie* cum magno (7) quidem incommodo, non tamen cum maximo. Ratio est, quia ex una parte vita proximi bonum est excellentius aliquo nostro bono; et ex alia parte cum amor sui ordine praecedat, nemo obligatur ad tantum incommodum pro aliis subeundum. — S. Lig. n. 31.

3^o In *gravi necessitate utriusque ordinis* nemo tenetur proximo succurrere cum gravi suo incommodo, secluso tamen iustitiae, pietatis vel officii titulo (8). Ex dictis enim sequitur, nos teneri ad opem aliquam praestandam, non tamen cum gravi proprii boni iactura. — S. Lig. *ibid.*

4^o In *communi necessitate utriusque ordinis* succurrendum proximo est cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit, sed levi tantum; non enim potest esse nisi levis obligatio Charitatis, quando proximus sat facile ab illa necessitate sese eripere potest, vel non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari. Hoc enim impossibile est, et si fieri posset, iam non leve incommodum foret (9). — S. Lig. n. 32.

Tertia regula. Inter varias personas diligendas praeferendae sunt, caeteris paribus, eae quae nobis sunt magis coniunctae sanguine, amicitia, officio, Religione, convictu, etc..., cum Deus vinculis strictioribus nobis illas devinxit.

poralia intrinseca, uti vita, sanitas, etc.; tertium vero bona naturalia extrinseca, ut fama, honor, divitiae. Fama tamen et honor respectu honorum fortunae est altioris ordinis, quia fama est quidpiam spirituale ac morale.

(6) Dicitur *per se*; excipi enim debet, 1^o si non sit spes moraliter certa salvandi proximum; unde non tenetur mater vitae periculum subire, ut proles baptizetur, cum incertum sit an ad baptismum sit perventura — 2^o Si alius sit, qui possit id praestare; tunc enim opera mea non est necessaria (Vid. Reginald. *Prax. For. poenit.* lib. 4. c. 25. n. 357.). — 3^o Si gravius malum inde immineat, v. gr. si quopiam ea de causa moriente, plurium aliorum salus periclitetur. Caeterum videnda sunt quae S. Alph. (lib. 6. n. 624.) habet de moribundo absolvendo etiam cum vitae periculo.

(7) Vid. *infr.* n. 228. q. 3. ubi ex S. Alphonso cum communi DD. sententia statuitur, non teneri quempiam ad magnam pecuniae summam erogandam, ut alium a periculo mortis eximat.

(8) Ex officio in gravi necessitate alienam salutem curare tenentur, v. gr. parochus et medicus: quibus idcirco non licet fugere tempore pestis, nisi substituto aequo idoneo.

(9) Quoad temporales proximi communes necessitates sublevandas, vide quae inferius dicuntur de elemosyna; quoad spirituales vero confer quae habet S. Alphonsus (lib. 6. n. 625.) de obligatione sacerdotum propria, ut se idoneos ad fideles in spiritualibus iuvandos efficiant, tum etiam quae infra de fraterna correctione dicenda sunt.

Hinc praefereendi sunt 1^o parentes caeteris; 2^o coniux filiis, filii fratribus, fratres cognatis; 3^o amici, benefactores, Superiores et personae bono publico utiliores caeteris. Attamen in ordinaria necessitate, iuxta communem sententiam, coniux et filii parentibus praeferrere debent (10). — S. Lig. *Hom. apost.* n. 15.

222. **Resolves.** — 1^o In pari ordine honorum, parique necessitate et causa magis tenemur nosmetipsos diligere, quam proximum. Ratio est, quia dilectio sui est regula dilectionis proximi iuxta illud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Regula autem prior est, et potior, quam regulatum (11).

2^o Peccat contra Charitatem erga seipsum, graviter vel leviter pro rei gravitate, qui debitam animae vel corporis curam negligit (12). — Licet tamen se privare bonis spiritualibus non necessariis, ad bonum sive temporale, sive spirituale proximi, v. gr. omittere auditionem Missae die feriali (13) etc... Imo potest quis maiora bona spiritualia non necessaria optare et procurare proximo quam sibi, secluso eorum contemptu.

(10) *Ad patrem proprie pertinet, ut ei a filiis honor impendatur; ad filium autem, ut ei utilitas a parentibus provideatur. Quamvis in articulo necessitatis filius obligatus sit ex beneficiis susceptis, ut parentibus maxime provideat.* S. Thom. (2. 2. q. 26. art. 9. ad 3.). Et de uxore (*ibid.* art. 11.): *Intensius diligitur uxor; sed maior reverentia est parentibus exhibenda.*

(11) Ita S. Thomas ex illo textu evangelico arguit (2. 2. q. 26. art. 4.): *Ex quo videtur, quod dilectio hominis ad seipsum est sicut exemplar dilectionis, quae habetur ad alterum. Sed exemplum potius est quam exemplatum. Ergo homo ex charitate magis debet diligere seipsum quam proximum.* Quocirca verba Christi, ut communiter advertunt theologi, similitudinem denotant, non autem aequalitatem.

(12) Eiusmodi tamen peccata vix accusari in confessione solent. Nam vel agitur de animae damno sibi accersito per culpas; et non magis exprimi debet, quam in peccato, v. gr. furti exprimenda sit charitatis aut obedientiae erga Deum violatio. Vel agitur de omissione mediorum, quibus

culpa praecaveantur; et cum haec obligatio non distinguatur ab obligatione servandi praecepta, talis negligentia per confessionem aliorum peccatorum satis exprimitur (Vid. Lugo de *Poenit.* disp. 7. n. 242. et disp. 15. n. 56.). Si vero agatur de damnis vitae aut corpori illatis, etsi charitatis erga se obligatio distinguenda videatur ab obligatione, quam praeceptum quintum Decalogi imponit ratione divini domini in vitam corpusque nostrum; tamen cum morborum causae ut plurimum non sint proximae et immediatae, fere gravem reatum non inferunt.

(13) Ita quispiam contemplationis, ieiunii, chori, etc. bona dimittit, ut proximum erudiat, aut differt religionis ingressum, ne desit qui aut paroeciae, aut seminario, aut missioni operam impendat. Neque vero tunc reipsa habetur lucrum spirituale cessans; quippe bonum minus maiori compensatur. Immo potest quis etiam dilationem aeternae beatitudinis eligere, ut proximum adjuvet; unde illa S. Martini: *Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Huc spectant et verba Apostoli *Phil.* 1. 23.